

Quodlibeta Holmensia

Autor(en): **Stegmüller, F.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **27 (1949)**

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762351>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Quodlibeta Holmensia

Von Universitätsprofessor Dr. Fr. STEGMÜLLER, Freiburg i. Br.

In einer Handschrift der Königlichen Bibliothek zu Stockholm ist eine Anzahl bisher unbekannter Quodlibeta, darunter ein Quodlibetum des frater GAUFRIDUS DE BLENELLO O. P. erhalten.

Stockholm, Königliche Bibliothek, cod. A 150, saec. XIII, membr.
234 folia.

- f. 2r-3v : *Index quaestionum in HUGONIS DE S. CARO Commentarium in Sententias Petri Lombardi, lib. II dist. 40 - lib. IV dist. 49.*
- f. 3r-3v : *Quodlibetum I-II.*
- f. 4r : *Extractus ex b. BERNARDI, De consideratione lib. IV.*
- f. 4v : *Quodlibetum III-VII.*
- f. 5r : *Quodlibetum VIII (fratris GAUFRIDI) ; ANON. Quodlibeta IX-X.*
- f. 5v : *Quodlibetum XI-XIII.*
- f. 6r/v : *Index quaestionum in HUGONIS DE S. CARO Commentarium in Sententias Petri Lombardi, lib. I dist. 1 - lib. II dist. 38.*
- f. 7r-229r : *PETRUS LOMBARDUS, Sententiarum lib. I-IV cum commentarii HUGONIS DE S. CARO O. P. redactione primitiva per modum glossae^a.*
- f. 229-230 : *HUGO DE S. CARO, Quaestio de dotibus resurgentium.*
- f. 229v-231v : *Quaestiones (Quodlibetales?) XIV-XVI.*
- f. 232r : *Index in [AUGUSTINI De Genesi ad litteram] lib. IV-XII.*
Inc. : Li[bro] Gen. (gn) 4 : Omnis creata natura certis suis terminis et finibus continetur.
Lib. V : Motus si nullus esset vel spiritualis vel corporalis creaturae, nullum esset tempus omnino. Potius ergo tempus a creatura, quam creatura a tempore coepit esse.
Lib. VI : In illa prima conditione mundi, qua Deus creavit omnia simul homo factus est.
Lib. X : Nota : In semine est visibilis corpulentia et invisibilis ratio. Utrumque evenit ex Abraham et ex Adam usque ad corpus Mariae. Christus vero visibilem carnem de Virgine sumpsit.
Lib. XII : In hoc mandato : Diliges Dominum Deum tuum etc. tria genera visionum concurrunt. Unum per oculos, quibus ipsae litterae videntur. Alterum per spiritum, cum

^a) Cf. F. STEGMÜLLER, *Die älteste Fassung des Sentenzenkommentars Hugos von St. Cher O. P. in einer Handschrift der königlichen Bibliothek zu Stockholm.* Nordisk Tidskrift för Bok- och Biblioteksväsen (1948).

proximus et absens corde cogitatur. Tertium per contuitum mentis, quo ipsa dilectio intellecta conspicitur.

f. 232v : *Kleinere Notizen*, darunter *Exzerpte* aus RICARDUS DE SANCTO VICTORE, *De omnipotentia Dei*.

Aus welcher Zeit stammen nun die vorliegenden Quodlibeta?

Quodlibetum VIII ist ausdrücklich einem FRATER GAUFRIDUS zugeschrieben. Diesen wird man wohl mit GAUFRID DE BLENELLO (DE BLÉNAU) O. P. identifizieren dürfen, der als Nachfolger des HUGO DE SANCTO CARO O. P. 1235-1242 Regens in St. Jacques in Paris war und 1250 in Paris starb. Die Abhaltung der Disputationes de quolibet war eine Aufgabe des magister regens. Also stammt das Quodlibetum VIII aus den Jahren 1235-1242.

Die übrigen Quodlibeten sind anonym. Für Quodlibetum I-VII möchte ich die Vermutung aussprechen, daß sie von HUGO DE SANCTO CARO sein könnten. Hugo las 1229/1230 über die Sentenzen und war 1230-1235 magister regens der Theologie. Die vorliegende Handschrift enthält die älteste Fassung des Sentenzenkommentars Hugos in Glossenform. Wenn diese Vermutung zutrifft, dürfte die Abfassung von Quodlibetum I-VII in die Jahre 1230-1235 fallen. Eine Vergleichung dieser Quodlibeten mit den beiden Fassungen des Sentenzenkommentars Hugos dürfte wohl weiteren Aufschluß bringen.

Für Quodlibetum IX-XVIII bin ich nicht in der Lage, einen bestimmten Verfasser vorzuschlagen. Die ganze Handschrift scheint aber nur Pariser Dominikanertheologie zu enthalten. Die Verfasser dürften also unter den Pariser Dominikanermagistern der Jahre 1230-1250 zu suchen sein. In Quodlibetum XII wird magister G. DE TAMPIS praedicator zitiert. Dieser dürfte wohl mit GUILLELMUS DE ETAMPES O. P. zu identifizieren sein ^a.

Nach P. GLORIEUX ^b sind die frühesten bisher bekannten Quodlibeten folgende :

1230-1233 : ANON. X.

1230-1248 : ANON. XI.

1231-1238 : ALEXANDER DE HALES, I-II.

1233-1242 : GUERRICUS, I-VII.

1238-1240 : EUDES, I.

1240 : fr. JACOBUS, I.

1255 : THOMAS DE AQUINO.

^a) A. LECOY DE LA MARCHE, *La chaire française au Moyen-âge* (1886) 510.

^b) P. GLORIEUX, *La Littérature Quodlibétique* I (1925) ; II (1935) ; cf. *Revue du Moyen âge latin* 2 (1946) 411.

Die Bedeutung der Stockholmer Quodlibeten liegt also darin, daß sie unsere Kenntnis der frühen Quodlibetenliteratur wesentlich ergänzen und bereichern. Ihr Stil ist ein unliterarischer, ja ungepflegter Sprechstil von großer Unmittelbarkeit. Beachtenswert ist, daß die Fragen gern aus Schriftworten entwickelt werden, ähnlich wie in den Sentenzenwerken des XII. Jahrhunderts.

Im Folgenden gebe ich nun ein Quaestionenverzeichnis und die Initien, sowie die Solutiones, aber unter Weglassen der Objectionen und ihrer Lösungen. An den Quodlibeten scheinen mehrere Hände geschrieben zu haben. Ich glaube A-F unterscheiden zu können, und merke die Zuweisung jeweils beim Beginn der Quaestion an.

Quodlibeta Holmensia, Index Quaestionum

Stockholm, Königliche Bibliothek, cod. A 150 (= S).

I

A

(Quaestio <De resurrectione>)

3r

1. Utrum surrectio sit naturalis.

Et obicitur sic: In pulveribus est potentia passiva. Sed virtute surrectionis Christi data est activa. Ergo sicut granum naturaliter generat granum, sic corpus naturaliter resurget.

Probatio minoris: *Sicut in Adam (corr. ex Christo S) omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificantur* (I Cor. 15, 22).

Ad idem: Exod. 8 (7, 12): Quamvis daemones de serpentibus fecerint serpentes, non dicuntur facere miracula, licet subito fecerint; ergo nec Deus in reformatione pulverum, licet subito operetur.

Item: Job 14 (7): *Lignum habet spem*, ergo et corpus humanum.

Item: Nobilioris substantiae nobilior potentia est et actus; sed nobilius est corpus humanum grano; ergo debet habere nobiliorem actum. Sed granum se conservat in alio grano, istud in seipso.

(*Sequuntur obiectiones 5-13*).

Solutio: Mirabilis erit.

Quod patet: Super illud Ps. (65, 3): *Quam terribilia sunt opera*,

GLOSSA: *Potentia conditoris maxime in surrectione ostenditur*. DAMASCENUS^a: *Credo surrectionem futuram Domini voluntate et virtute*.

^a) JOHANNES DAMASCENUS, *De fide orthodoxa* lib. IV c. 27 (PG 94, 1226).

ANSELMUS^a in libro De conceptu virginali : *Solius voluntatis divinae est, quod corpora resurgent.* DIONYSIUS^b in capitulo de vita : *totos nos animas et conjugata corpora ad perfectam vitam et immortalitatem promittit, transmutationem contra naturam visam; mihi autem et tibi et veritati et divinam et supernaturalem.*

Ad primum : Solvendum est : Per interemptionem haec infert, quod resurrectio Christi dat virtutem activam resurgendi ; sed est causa exemplaris vel motiva Patris.

Ad illud : Sicut in Adam, sic in Christo, respondetur : Quoad sufficientiam, non quoad efficientiam.

Ad aliud Exod. 8 (7, 12) dicimus, quod in illis serpentibus virtus erat activa ; propter hoc fuit operatio naturalis, hic non.

Ad illud de ligno : Non est simile, quia ibi est vis activa, in pulveribus vis passiva.

Ad illud : Nobilioris, dicimus, quod cum granum moritur, vis activa remanet ; sed cum moritur corpus, nulla vis manet, si enim aliqua remaneret, nobilior esset.

(*Sequuntur responsiones ad obiectiones 5-13.*)

3r 2. De illis, qui vivi reperientur : Utrum morientur.

I Thess. 4 (17) : *Nos qui vivimus*, GLOSSA dicit, quod moriuntur. Hebr. 9 (27) dicit GLOSSA : *Semel mori est naturale* ; ergo illa mors erit eis naturalis.

Item : virtus divina non tollit actum naturae, sed potius decorat. Ergo operatio divina non tollit, quin successive resurgant ; ergo non subito neque simul, quod dicit GLOSSA.

(*Sequuntur obiectiones 3-15.*)

Solutio : Qui vivi reperientur, manibus angelorum deferentur et subito morientur et resolvuntur in pulverem, iuxta illud : *Pulvis es*, Gen. 3 (19).

Ad illud : *Semel mori est naturale* : verum est ; sed non subito surgere.

Ad illud : *Virtus divina* etc. dico, quod ibi natura non aget, sed virtus divina solum.

(*Sequuntur responsiones ad obiectiones 3-15.*)

^a) ANSELMUS CANTUAR., *De conceptu virginali et originali peccato* c. 11 (PL 158, 445).

^b) DIONYSIUS AREOP., *De divinis nominibus* c. 6 paragr. 2 (PG 3, 855).

II

B

(Quaestio De sacramentis)

3v

1. (Utrum sacramentum sit signum naturale an voluntarum).

Sacramentum est sacrae rei signum. Aut naturale aut voluntarium. Non naturale, ut dicit HUGO ^a, quia est *ex institutione significationis*; ergo voluntarium ...

2. Utrum essent in statu innocentiae.

B

Dicit HUGO ^b: *Sacramenta vasa medicinalia, Deus medicus, homo aegrotus*. Sed non extante morbo, non est necessaria medicina.

— Ad hoc dicimus, quod sacramenta ordinata sunt ad intellectum gratiae et ad remedium, quod per gratiam datur. Quantum ad hoc, quod ordinata sunt in remedium, non sunt necessaria in statu innocentiae; quantum ad hoc, quod ordinata sunt ad intellectum, quia ductiva erant ad intellectum, sacramenta remediatis sunt necessaria.

Ad primum dico, quod omnia illa referuntur ad remedium vel ad remediatores vel ad illud, per quod est remedium vel propter quod; et ideo secundum illam utilitatem non fuerunt necessaria sacramenta in statu innocentiae. Aliam tamen habebant utilitatem, quia ducebant intellectum ad intellectum gratiae perficientis ...

3. Tertia: Utrum necessaria essent post lapsum, ut instituerentur.

Quia si erant necessaria, aut propter finem significationis, aut causalitatis.

— Dicimus, quod post lapsum necessaria fuerunt sacramenta remedia. GLOSSA: *Ex Christi latere fluxerunt sacramenta*.

III

C

(Quaestio De libero arbitrio)

4v

Quaestio de libero arbitrio. Primo: Si est. Secundo: Si sit ad bonum et ad malum. Tertio: De distinctione liberi arbitrii. Quarto: Quid dicitur hoc nomine: facultas.

^a) HUGO DE S. VICTORE, *De sacramentis* lib. I pars 9 c. 2 (PL 176, 317).

^b) HUGO DE S. VICTORE, *De sacramentis* lib. I pars 9 c. 4 (PL 176, 323).

(1. Si est liberum arbitrium).

Circa primum: Liberum arbitrium instinctus est ad peccatum et est concreatum in anima, ergo instinctus ad peccatum naturalis est in anima.

• Contra: Deus est auctor naturae, sed non est auctor peccati, ergo etc.

(1a) Item quaeritur: Utrum Deus potuerit facere naturaliter aliquam naturam, quae peccare non posset.

Videtur quod sic, quia est omnipotens, ergo potest omnia.

— Solutio: Quattuor possunt assignari causae, quare fecit creaturam, quae posset peccare. Quia magis cedit ad Dei gloriam, cum creatura potens eligere aliud, eligit Deum, ut [Eccli. 31, 10]: *Qui potuit transgredi et non transgreditur*. Secunda causa est propter maius meritum ipsius creaturae. Hoc est, quod dicit AUGUSTINUS^a: *Magis elegit, ut ei liberaliter deservirent*. Tertia causa, quia magis est Deo grata. Quarta, quia *magis bonum elicit Deus de malo, quam sit illud malum malum*, ut dicit AUGUSTINUS^b in XI De civitate.

Dicimus ergo ad primum: Liberum arbitrium est instrumentum ad malum: Si ly ad dicit ordinem, falsa est, quia ad bonum ordinatur. Et si dicitur esse liberum arbitrium ad malum, verum est, quia malum facere potest. Verum secundum quod liberum arbitrium dicit ordinem ad malum, sic non est concreatum.

2. Item quaeritur: Utrum liberum arbitrium se habet ad bonum et ad malum naturaliter.

Et videtur, quod sic, quia gratia desistente se habet ad malum; ergo per se se habet ad malum naturaliter.

Solutio: Si ly ad dicit ordinem, ad bonum se habet.

Item: Naturaliter potest duobus modis sumi. Si sumatur naturaliter pro virtute naturali, ad bonum se habet; si pro defectu naturali, ad malum. Et hoc dupliciter. Si ly ad dicit potentiam ordinatam naturaliter ad malum, falsum est; si dicit potentiam accidentaliter se habere ad malum, verum est. Potentiae enim naturali, licet sit de nihilo, accidit se habere ad malum. Potest ergo liberum arbitrium facere bonum et malum naturaliter; sed ad malum ordinatur potentia accidentali, ad bonum vero naturaliter. Potest ergo utrumque, sed non est ad utrumque, ut ly ad ordinationem dicat.

^a) Cf. AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* lib. 11 c. 7 (PL 34, 433).

^b) Cf. AUGUSTINUS, *De civ.* lib. 11 c. 17 et 18 (PL 41, 332); *De Gen. ad litt.* lib. 11 c. 8 (PL 34, 433).

IV

C

(Quodlibetum De visione beatifica)

4v

1. Quaestio est de Quolibet. Primo: Utrum sit eadem visio viae et patriae.

Et videtur, quod non. Quia haec est cum aenigmate, illa sine. Item: Ista cum medio, illa sine medio; ergo differunt.

Contra: Ista non faciunt differentiam secundum speciem, sed secundum modum.

Solutio: Dicimus, quod sicut differt secundum speciem cognitio sensibilis et cognitio intellectualis et ratione [ratio S] obiecti, item ratione medii, sic dico, quod in genere conveniunt in hoc, quod utraque visio est; sed differunt per has differentias: obscurum tunc videtur aenigma; et consimilis differentia cognitionis fidei lucida cognitionis patriae.

V

C

(Quodlibetum)

4v

Quaestio est de Quolibet. Primo de quaestione morali, secundo de quaestione fidei, tertio de sacramentis, quarto: Utrum in patria sit locutio vocalis.

1. (De quaestione morali).

Circa primum proponatur: Esto, quod iste aliquid possideat per usuram; tamen possidet illud quantum dictat ius praescriptionis [praescribit S]. Modo quaeritur: Si iudex ordinarius vel aliquis vir spiritualis isti debat consulere, quod rem dimittat.

(Videtur, quod non). Quia consulere contra instituta Patrum et sanctorum canonem peccatum est.

Item: Qui contrarium consuleret, ius plurime perturbaret. Huiusmodi enim praescriptiones sunt institutae a sanctis propter perturbationem rei publicae evitandae ...

(Solutio): Videtur quia iste numquam fuit bonus titulus possidendi, secure consuli potest, ut dimittat; licet iure fori non peccet.

2. (De quaestione fidei).

2, 1: Tit. (3, 4) dicitur: *Apparuit benignitas et humanitas salvatoris* etc. Ergo opus creationis fuit opus benignitatis. Sed benignitas attribuitur Spiritui sancto; ergo et incarnatio.

Item : Eadem sunt opera Patris, Filii, Spiritus sancti ; sed indivisa sunt opera trinitatis ; ergo si iste incarnatus, et ille.

Solutio : Ad hoc quinque sunt rationes. Prima : Ut eadem sit imago creationis, quae et recreationis. Secunda : Cum Filius Dei sit Verbum, per Verbum manifestatur ille, cuius est Verbum, ideo Filius est incarnatus, ut manifestaret illum, cuius est verbum, id est Patrem, et eius voluntatem, id est Spiritum sanctum. Unde in Johanne (17, 6) : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus*. Tertia : Confirmatio hereditatis, quam patribus promiserat. *Sicut locutus est ad patres nostros* (Luc. 1, 55). Quarta ratio, ut commendaret caritatem suam in nobis dando Filium suum. Quinta ratio : Ideo Filius Dei factus est homo, ut homo fieret filius Dei.

Ad illud : Quidquid facit Pater, et Filius ; sed Filius incarnatus ; ergo et Pater : Non sequitur ; fallacia accidentis.

2, 2. Item quaeritur : Utrum (quare S) Filius Dei assumpsit hominem.

Quia dicitur : Iste puer creavit stellas ; sed creare actus est divinae essentiae ; ergo divina essentia dicitur de isto.

Item : Proprietas aeterna convenit ei, quia possum dicere : Jesus est Filius Dei ab aeterno vel genitus a Patre. Modo quaeritur : Cum Filius Dei non assumpserit hominem, sed humanam naturam, neque animae neque corpori conveniat hoc est, quod est creare vel genitum esse, videtur, quod homini illi debuit convenire.

Solutio : Verum est, quod partibus hominis, ut animae et corpori non conveniunt ista, nisi secundum quod sunt in unitate personae, quia Christus unus Deus et homo in una persona. Unde quia natura hominis unita est Filio Dei in unitate personae, inde est, quod ei conveniant ea.

2, 3. Item quaeritur : Quare non assumpsit angelum.

Solutio : Quia natura angelica reparabilis non erat. Et inde est, quod propter ipsius reparationem eam assumere non debuit. Item : Quia homo finis omnium, cum omnia facta sint propter hominem, etiam angeli.

2, 4. Item quaeritur : Utrum Christus dederit corpus suum passibile in coena vel impassibile.

Si passibile, incinerari (?) potuit ; si impassibile, similiter in die Parasceves. Constat, quod passibilis erat in cruce et impassibilis sub sacramento ; ergo passibilis et impassibilis.

Solutio : Quidam dicunt, quod in nativitate assumpsit subtilitatem, Matth. 6 (1, 23) ; Ambulans super mare, agilitatem, Matth. 8 (14, 28 ; Joh. 6, 19) ; in transfiguratione, claritatem, Matth. 27 (17, 2) ; in coena, impassibilitatem, quando dedit corpus suum discipulis suis.

Aliter dicendum, quod corpus passibile dedit. Et conceditur haec : Christus moritur in pisside, non tamen laceratur in pisside, quia actiones violentae ; non excluduntur naturales, sicut et mori conceditur.

3. (De sacramentis).

Item quaeritur : Si est corpus sub sacramento, quare ponitur sub duplici specie ?

Solutio : Ibi est caro per conversionem, sanguis per connexionem, anima per perfectionem, deitas per unionem. Unde sub utraque specie totus Christus. Quare datur sub duplici specie ? Quia duplices sumus ex anima et corpore. Unde sanguis signum est animae, quia *anima in sanguine est*, dicitur in Levitico (17, 11).

4. (Utrum in patria sit locutio vocalis).

Utrum in patria sit laus vocalis, quaestio est.

Quod sic, videtur. In Isaia (51, 3) : Ibi erit *gratiarum actio et vox laudis* ; ergo ibi erit vox.

Contra : Ibi non est aer ; ergo neque vox.

Solutio : Corpora glorificata, quia connaturalem habebunt aëra, unde poterunt respirare et formare sermonem. Et nota : sicut movebuntur, ita vociferari poterunt.

Sed nota : Tempus dicitur multipliciter. Est tempus, quod dicitur aeternitas, sicut : *Hodie genui te* (Ps. 2, 7). Est item tempus, quod dicitur commensuratio primi mobilis ut firmamenti ; sic dicitur : *Qui tempus ab aevo ire iubet*^a. Item est tempus : commensuratio relationum corporalium et spiritualium, quia angelus movetur in tempore et operatur in loco. Item est mensura rerum mutabilium solum.

VI

C

Quaeritur de quolibet

4v

1. Quare Dominus maledixit ficum qui statim aruit, cum nondum esset tempus ferendi ficus.

^a) BOETHIUS, *De consolatione philosophiae* lib. 3 metr. 9 (PL 63, 758).

2. Item : Quare non omnes animae simul creatae sunt, et omnes angeli simul creati.

3. Item : In quo differt intellectio in homine et in angelo, cum utraque sit ad imaginem Dei secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem.

4. Item de authentico DAMASCENI^a : Post assensum Virginis Spiritus sanctus supervenit super ipsam, purgans ipsam et virtutem Dei Verbi susceptivam tribuens simul et generativam. Unde, cum sanctificata fuerit, quaeritur : Quid purgavit ?

5. Item : Quare dicitur : susceptivam, cum virtutem suscipiendi naturaliter haberet, cum omnis creatura suo creatori oboediat ; simul et generativam, qua generavit Dei Verbum.

Contra : Hominem generavit, non ergo proprie Dei Verbum. Et confixit sibi ipsi ex ratis et purissimis sanguinibus carnem animatam rationali et intellectuali, primitias nostrae massae.

(Solutiones vero non habentur.)

D

VII

4v

Quaeritur de immutabilitate Dei

Primo : Utrum insit sibi soli. Secundo de quibusdam, quae ex tempore Deo conveniunt.

1. (Utrum immutabilitas insit Deo soli).

Et obicitur sic : I Tim. 6 (16) : *Qui solus habet immortalitatem*, GLOSSA : *Id est immutabilitatem*. Sed quod convenit uni (omni S) ex tribus personis et soli et semper, proprium est eius. Ergo soli Deo convenit immutabilitas. Sed quod est proprium alicuius, neque per se neque per accidens convenit oppositae speciei ; sicut risibile non convenit asino ; ergo neque per gratiam neque per naturam aliqua creatura erit immutabilis.

Solutio : Concedo, sicut dicit GLOSSA super illum locum : (I Tim.6,16) *Qui solus habet immortalitatem*, GLOSSA : *Id est immutabilitatem*. Solus habet per naturam, quia non cuiusquam gratia. Sed natura sua non potest nec potuit aliqua conversione vel oppressione mutari. Cuiuscumque vero creaturae rationali praestatur, ut peccare non possit, non

^a) JOH. DAMASCENUS, *De fide orthodox.* lib. 3 c. 2 (PG 94, 986).

est hoc propriae naturae, sed Dei gratiae. Concedo ergo, quod solus habet immutabilitatem per naturam.

Ad illud, quod obicitur, quoniam quod est proprium alicuius, alii convenire non potest: Verum est. Sed esse immutabile est proprium Dei: Dico, quod hoc falsum est; sed esse immutabilem per naturam proprium est Dei; neque alii hoc convenit.

2. Quaestio est de huiusmodi nominibus: Creator, Dominus, quia haec conveniunt ei ex tempore, ergo aliquam mutationem ponunt in eo.

(Solutio): Dico, quod dominium in Deo nihil ponit, quod non sit ipse. Unde sicut in nummo, quando fit pretium et quando non fit, nulla mutatio est in nummo, sic in Deo quando fit Dominus actu, nulla fit mutatio in ipso, sed solum in creatura. (Sicut in sole) quando generat et quando non, nulla fit mutatio in sole, sed in re suscipiente. Nota: Ly Dominus divinam dicit essentiam.

VIII

C

(Quodlibetum fratris Gaufridi de Blenello O. P.)

5r

Quaestio est de quolibet fratris GAUFRIDI.

1. Primo: Utrum sint plures veritates ab aeterno.

Et obicitur sic: Ab aeterno fuerunt tres entes, Pater, Filius, Spiritus sanctus; ergo tres veritates.

Item: Ab aeterno fuit verum mundum fore et antichristum esse; sed eadem veritas est de futuro et de praesenti, quia eadem est fides de futuro et de praesenti; ergo, cum non sit una et eadem veritas huius: mundus est, antichristus est, nec erit eadem veritas huius: mundum fore et antichristum fore. Sed haec sunt vera ab aeterno. Ergo ab aeterno fuerunt plures veritates.

Item: Unum est in divino esse et eius quod est, ergo esse in Deo est in divino esse et eius quod est. Quod nihil est.

Solutio: Triplex est veritas, dicentis, enuntiabilis et rei. Deus verus est ab aeterno. Per hoc patet, cum dicitur: hoc enuntiabile mundum fore est verum ab aeterno, dico quod illud verum nihil est in re, quia non est res, et propter hoc non est veritas rei ab aeterno multiplex, sed una, scilicet increata.

Ad illud autem: tres entes, ergo tres veritates: non sequitur, quia

hoc quod dico entes participium est et tenetur secundum exigentiam adiuncti, sed *ly* veritates substantivum est, et propter hoc non sequitur.

2. Secundo quaeritur de processione temporali, qua scilicet Spiritus sanctus procedit: *Ly* procedit aut dicit divinam essentiam, aut potentiam. Si essentiam, ergo essentia procedit; si potentiam, ergo contra: Omne quod est in divinis connotans effectum in essentia, dicitur essentia, et hoc est: procedit; ergo dicit divinam essentiam.

Solutio: *Ly* procedit dicit divinam essentiam et connotat effectum in creatura, cum dico: Spiritus sanctus procedit in corda fidelium; aliquando dicit divinam essentiam, ut cum dicimus: Spiritus sanctus procedit, id est dat se; aliquando notionem, ut cum dicimus: Spiritus sanctus procedit a Patre.

3. Tertio quaeritur: de visione Dei. Quaeritur: Utrum Paulus viderit Deum facie ad faciem.

Contra: Exod. 33 (20): *Vivet homo et non videbit me*. Ergo nullus videt.

Contra Job 36 (25; vet.): *Omnis homo videt illum*; etiam (?) parvuli, qui cum originali decesserunt. Sed dicit ibi GLOSSA^a, quia ideo mali videbunt, ut ex visione torqueantur; ergo parvuli ex hac Dei visione torquebuntur; ergo habebunt poenam sensus, non poenam damni.

Item: Quantumcumque profecerit homo in hac vita, non videbit Deum; ergo Paulus non vidit.

Item: [AUGUSTINUS] In libro *Retractationum*^b: *Haec visio beatissimos facit*; sed Paulus non fuit beatissimus; ergo non vidit.

Item: Quaeritur: quis melius cognoscitur, Deus an proximus? Quod Deus, videtur, quia intraneor est omni re; ergo magis cognoscitur.

Contra: Certius cognoscitur iste quam ille; ergo magis patet quam Deus.

Solutio: Sicut dicitur in GLOSSA super II Cor. 12 (2), ubi loquitur de raptu Pauli, ibi dicit GLOSSA^c: Paulus non per corporalem visionem vel in aenigmate, sed per speciem; *hoc est tertium coelum, scilicet visio, qua Deus videtur facie ad faciem; et ista est paradisus paradisorum*.

Ad illud: *Non vidit me homo* [Exod. 33, 20], respondet AUGUSTINUS Super II Cor. in GLOSSA^d: *Tunc enim Apostolus non vixit homo, id*

^a) ex GREGORIO MAGNO, *Moralia* lib. 27 c. 5 (In Job 36, 25) (PL 76, 403).

^b) AUGUSTINUS, *Retractationes* lib. 1 c. 14 (PG 32, 606).

^c) PETRUS LOMBARDUS, *Collectanea in epp. Pauli*, II Cor. 12, 2 (PL 192, 82).

^d) PETRUS LOMBARDUS, *Collectanea in epp. Pauli*, II Cor. 12, 2 (PL 192, 82).

est secundum usum sensuum corporis, sed ablatum est ei omnis sensus hominis; quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilem visionis lucem assumitur; nec sensibus corporis utebatur.

Ad illud : *Omnis homo videbit eum* [Job 36, 25 ; vet.], respondetur : In iudicio omnes, tam parvuli quam maiores videbunt Deum, sed mali adulti ex visione torquebuntur, parvuli (mali S) vero, qui nulla mala operibus addiderunt, non tormentum suscipient ex visione creatoris.

4. Quaeritur : Utrum furiosus possit baptizari.

Respondeo : Aut consensit, aut dissensit. Et continuo : Omnis qui semper contradixit, characterem non suscepit ; si consensit, characterem suscepit. Si nec consensit nec dissensit, quia nec numquam usum liberi arbitrii habuit, talis, inquam, si baptizatur, more parvulorum salvabitur. Si aliquando contradixit (consensit S) et actualiter non consensit (contradicit S), non poterit baptizari.

5. Baptismus delet culpam. Aut delet omne inquinamentum, aut non.

Si non, Contra : Exod. 37 (Ezech. 36, 25) : *Efundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ergo per baptismum omne inquinamentum potest deleri. Sed irregularitas aliquid est, aut culpa aut poena. Si poena, ergo culpa debet praecedere, quia poena infligitur pro peccato.

Item : In lege Levit 19 (22, 4) dicitur : *Qui tetigerit mortuum, immundus erit.* Illa immunditia irregularitas quaedam est, et contra illam irregularitatem habebant remedium, ut aquam expiationis, quae fiebat de cineribus vitulae rufae. Quare in lege nova, ubi maior est cumulus gratiarum, non datur remedium contra bigamiam et homicidium ?

5a. Item : Quaeritur : Si suscipit homicida et bigamus characterem ?

Videtur, quod non, quia ibi est defectus sacramenti, ergo non recipit.

Solutio. Inter Augustinum et Hieronymum super hoc dissensio fuit, quia dicebat HIERONYMUS, quod baptismus delet bigamiam, AUGUSTINUS dicit, quod non ^a. Cui consentimus, quod post baptismum remanet bigamia, quia non est culpa neque poena contracta ex culpa. Nihilominus tamen poena est.

^a) GRATIANUS, *Decretum*, pars II, C 28 q. 3 c. 1 (Friedberg I, 1090).

Ad illud quod obicitur : Ergo culpa praecessit : Non sequitur. Joh. 9 (2) de caeco dicitur : *Quis peccavit, hic aut parentes eius ?* Et respondet Dominus : *Neque hic neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo* . Unde illa poena ad gloriam Dei fuit, quia inde apparuit gloriosus. Unde dicimus, quod istae poenae inflictae sunt homini ad gloriam tanti sacramenti.

Ad illud, quod quaerit : utrum habeamus remedia contra irregularitates ordinarias (?), sicut habebant antiqui, responsio est, quoniam in ordine tria sunt : persona ordinata, et ipse ordo, et executio ordinis. Contra statum personae est excommunicatio ; unde si excommunicatus celebrat, irregularis est, et potest ex causa cum tali dispensari a summo pontifice. Contra substantiam ordinis est bigamia, quae divisit carnem in plures, unde non habet imitationem Christi et ecclesiae, sed importat defectum sacramenti. Contra executionem ordinis est homicidium ; et in aliquibus casibus circa huiusmodi dispensatur.

Ad illud : utrum bigamus recipiat characterem, dicimus, quod sic ; characterem ordinis ; sed executionem non habet.

5b. De matrimonio quaeritur : Utrum contrahatur affinitas specialis, si filius uxoris meae sit compater alicui, sicut mihi contrahitur, quando uxor mea est commater alicui.

Respondeo : Non ; quia cum uxor mea sit unum corpus mecum, eius commater efficitur compater meus etc. ; non sic autem in filio ; corpus enim filii mei meum non est.

6. Sexto quaeritur : Capitulum excommunicat aliquem, ita quod nullus de capitulo ; ergo econtra : ita potest excommunicari capitulum, quod nullus excommunicabitur.

Solutio : Excommunicare auctoritatis est ; sed auctoritas potest dari universitati, ita quod nulli de universitate. Sed excommunicari poena est ; poena tamen universitati ita quod nulli dari non potest. Et propter hoc non sequitur quod possit excommunicari ita quod nullus.

7. Septimo : Sicut usura contrahitur in spe, sic et simonia. Sed dicit ius, quanto simoniacus in spe, non tenetur ad restitutionem. Ergo neque usurarius in spe, ut sunt caupones.

Solutio : Usura cum spe est, cum nihil recepit sed sperat recepturum. In tali, qui nihil penitus recepit, dico, quod non tenetur restituere ; sed si iam receperit, ad restitutionem tenetur. Idem dico de

simoniaco ; si quid accepit, restituere tenetur, vel si quid propter simoniam alicuius recepit.

8. Octavo. De peccato originali obicitur sic : Cuius natura solum principium est, non est vituperabile vel laudabile ; sed originalis natura solum principium est ; ergo parvuli ratione illius neque vituperabiles vel laudabiles sunt.

Solutio : De natura instituta verum est, quoniam quod ab illa solum est, nec laudabile nec vituperabile est. Sed de natura destituta falsum est ; et originale ortum habet a natura destituta ; et propter hoc vituperabile est. Constituitur autem originale eo, quod anima vasi corrupto infunditur. Non autem sic esset de angelo, quia non est natura unibilis sicut anima.

9. Nono : In libro De natura boni ^a, et in libro Sap. (11, 21) : *Omnia fecit Dominus in numero, pondere et mensura.*

Contra : Dicit AMBROSIUS Hexaemero, ubi de sex diebus determinat ^b : *Natura lucis non est huiusmodi, ut in numero, mensura et pondere sit, sed eius natura in aspectu est.*

Solutio : Non dicitur lux in numero vel pondere et est consistere sicut et est, quia natura lucis diffusiva est et multiplicativa. Licet ergo modus eius finitus sit, non tamen potest dici, quod tantus sit, quod non maius, quia si esset alius mundus, repleret illum. Propter hoc neque mensuram neque numerum neque pondus habet, ut alia. Numerus et species qua cernitur, pondus quo ad stabilitatem trahitur mundus, mensurata potestas ; quia in omnibus creaturis est numerus et species et ordo finitus, in luce quodam modo infinitus.

10. Decimo quaeritur : Quae vita sit melior, activa vel contemplativa. Videtur, quod contemplativa. Luc. (10, 42) dicitur : *Maria optimam partem elegit.*

Contra : Angeli habent activam, quia ministrant et consulunt nobis, et tamen felices sunt. Ergo activa felicissima.

Solutio : Activa (et *add. manus posterior*) contemplativa melior est, quia felicius et quietior. Tamen in activa sunt tria opera privilegiata, quae excellunt opera contemplativae : Praedicare verbum Dei, conficere corpus Christi, martyrium pati pro Domino.

^a) AUGUSTINUS, *De natura boni contra Manichaeos* c. 3 (PL 42, 553).

^b) AMBROSIUS, *Hexaemeron* lib. I c. 9 (PL 14, 143).

Ad illud : Angeli habent activam : concedo, quia nobis ministrant, consulunt etc.

Si obicitur : quod activa finitur carne, respondeo : Verum est, videlicet in habentibus carnem ; sed angeli non sunt huiusmodi.

11. Undecimo quaeritur : Quem Christus magis dilexit, Petrum vel Johannem.

Quod Johannem, patet, quia ei secreta caelestia revelavit, quando supra pectus Domini recubuit.

Contra : Petro curam ecclesiae commisit. Pasce oves meas (Joh. 21, 17).

Solutio : Quoad virtutes potuerunt esse pares Petrus et Johannes. Quoad familiaritatem magis dilexit Dominus Johannem quam Petrum. Quoad opera privilegiata, sicut venire super aquas (Matth. 14, 28) etc. magis Petrum.

12. Duodecimo quaeritur de correctione fraterna.

Et obicitur sic : Qui videt fratrem peccantem et tacet, non minus peccat quam qui paenitenti non indulget. Qui enim dixit : Si peccaverit, indulge (Matth. 18, 22 ; Luc. 17, 4), dixit : *Si peccaverit, increpa* (Luc. 17, 3). Ergo tenemur increpare peccantes. Sed tunc quaero : Corripere fratrem : istud est de iure naturali ; ergo ad illud tenemur semper.

Item : Oboedire praelatis tenemur. Sit ergo ita, quod conscientia istius monachi dictet ei, quod si exierit corripere istum et eripitur ; et abbas nolit dare licentiam exeundi ; aut exhibit, aut non. Si non, contra : ad correctionem tenetur de iure naturae ; item : conscientia dictat ut exiret. Ad hoc ergo tenetur exire. Contra : Tenetur oboedire praelato ; ergo si exit non licentiatus, peccat mortaliter. Ergo est perplexus.

Item : Levit. 19 (Exod. 23, 5) : *Si videris asinum proximi tui oppressum sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Ergo multo magis proximum vel vicinum vel quemlibet corripere tenetur.

Solutio : Corripere fratrem peccantem tenemur, sed non omni hora vel tempore, vero possumus differre tribus de causis. Si congruentius tempus expectamus, vel quia meliores iuxta nos habemus, vel quia timemus, ne deteriores fiant. Si sic differimus, non peccamus. Unde AUGUSTINUS in libro De civitate in principio dicit ^a. *Nam si propterea*

^a) AUGUSTINUS, *De civitate Dei* lib. I c. 9 n. 2 (PL 41, 22).

quisque obiurgandis et corripiendis male agentibus parcit, quod opportunius tempus inquirat, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores fiant vel ad malam vitam alios infirmos premant et a fide avertant, praetermitto, non videtur esse, occasio cupiditatis¹ sed consilium caritatis.

Ad illud, quod obicitur : Conscientia dictat, quod iste corripiatur etc., dico, quod consilium meum est, ut erroneam deponat conscientiam et remaneat in claustro et oboediat praelato, quia incertus est, utrum sibi oboediret corripiendus.

13. Quaeritur tertio decimo : Aliquis sacerdos celebrat. In ipso canone recordatur, quod peccavit mortaliter. Quid faciet ?

Si potest confiteri sine scandalo, confiteri tenetur ; si non potest, atteratur et paeniteat, et Dominus dimittet, et conficiat cum proposito confitendi.

Sed tunc obicitur : Esto, quod in canone recordetur se esse excommunicatum. Quia si conficit, irregularis est ; si non conficit, in tota parrochia, quae communicare debet, scandalizatur. Quid faciet ?

Solutio : Consilium meum est, ut populo dicat, se esse excommunicatum, ne scandalizetur populus, quia scandalum contra ius naturae ; et tunc alii praecipiat, ut celebret, et ipse cesset.

14. Decimo quarto quaeritur : Quantum possit differri paenitentia ?

Solutio : Usque ad Pascha, per constitutionem Neque transgressor est.

Si obicitur : Ergo committit se discrimini.

Solutio : Si sanus est, de Dei misericordia confidere debet, et proponere quoniam confitebitur, et atteri de peccato. Sed si infirmus est, statim habita sacerdotis copia debet confiteri.

15. Decimo quinto quaeritur : Aliquis Judaeus tantum habet originale et veniale. Decedit. Constat, quod punietur in inferno ratione venialis, quod est actuale peccatum.

Contra : Veniali non debetur nisi temporalis poena ; ergo etc.

Solutio : Dicunt quidam, quod talis² poena inferni punietur et temporalis, quia in inferno multae sunt poenae, temporales scilicet et aeternae. Unde finito peccato veniali originali poena, quae est poena damni, punietur. Alii dicunt, quod quia sapere illam poenam noluit, aeterna poena punietur ; et hoc accidit ratione fori.

¹ cupiditatis] om. S.

² talis] tali S.

(Quaestio De suggestionem diaboli)

Serpens erat callidior etc. (Gen. 3, 1). Occasione horum verborum quaeritur de suggestionem diaboli. Primo quid sit. Secundo: Utrum sit immissor malarum cogitationum. Tertio: Quando tentavit Evam.

1. (Quid sit suggestio diaboli.)

Circa primum: HUGO DE SANCTO VICTORE^a: *Tentari est callide experiri et blandis conatibus ante violentam impulsionem probare*. Ex hoc habetur, quod violentiam facere potest.

— Solutio: Est tentatio exercitii; hac Deus tentavit Abraham (Gen. 22, 2). Item est tentatio ad culpam; quam notat ibi: *callide experiri*. Unde ibi notatur tentatio experientiae, prout via est ad peccatum; et propter hoc sequitur: *ante violentam impulsionem probare*.

2. De secundo: Utrum sit immissor, quaeritur: Aut immittit imaginem quam habet, aut quam non habet. Si quam habet, ergo, cum imago sit ex sensibus, ipse autem sit spiritus intellectualis, imaginem non inspirat in anima. Item nec quam non habet imprimere potest. Ergo nihil imprimit.

2, 1. Item quaeritur: Si possit imprimere aliquid ex parte intellectus.

— Solutio: Dicimus, quoniam diabolus non potest imprimere aliquid in animam ex parte intellectus, sed ex parte imaginationis, quia quoad partem illam natura dignior est; quoad naturam intellectus natura aequalis. Unde quoad partem inferiorem potest offerre virtuti concupiscibili delectabile, et movebitur; sed potest esse motus ibi tantum naturalis, et tunc nullius erit peccati; vel potest esse a ratione.

3. Item quaeritur: Quando suggerit diabolus Evae superbiam, ibi [Gen. 3, 4]: *eritis sicut dii*, et gulam, ibi: *quacumque die comederitis*, et avaritiam, ibi: *scientes bonum et malum*, quia superbia non est quid sensibile, ergo non potest eius imaginem diabolus animae repraesentare.

Respondeo: Licet superbia sit peccatum spirituale, hoc tamen non suggestit diabolus sub ratione superbiae, sed sub ratione apparentis boni, sub hoc: *eritis sicut dii*; et ex illis vocibus formavit imagines

^a) Ps. HUGO DE S. VICTORE, *Allegor. Nov. Test.* lib. 2 c. 13 (PL 175, 786).

vocum in anima, et post anima per imagines vocum formavit signationes earum. Unde imaginatio non tantum est visibilibus, sed audibilibus.

X

(Quaestio De potentiis animae)

C

5r

Quaestio est: Utrum anima sit suae potentiae, vel non.

Videtur, quod sic. Quia dicit AUGUSTINUS^a: *Memoria, intelligentia, voluntas sunt in anima, et non sunt plures animae sed una, nec plures vitae, sed una vita.*

— Solutio: Notandum, quoniam differunt essentia, substantia et subiectum. Essentia dicit formam; unde idem est quod natura vel forma. (Subiectum dicitur in comparatione ad accidens. *add.* S). Substantia dupliciter dicitur; vel per quod subsistit in essendo; sic non sunt idem in substantia vel in essentia memoria, intelligentia et voluntas. Sed secundum quod subsistit in agendo, sic anima dicitur motor, et quod substantia non potest operari nisi per potentias. Sic concedo, quod illa tria sunt idem quod anima; secundum (quod) anima dicitur substantia, non secundum quod subsistit in essentia, sed secundum quod subsistit in operando.

XI

(Quaestio De numero personarum in divinis)

E

5v

Faciamus hominem ad imaginem etc. (Gen. 1, 26). Occasione horum verborum quaeritur de numero personarum: Quot sunt. Secundo: Utrum sunt plures quam tres.

Et opponitur sic: Dicit BOETHIUS^b: *Persona est individua substantia naturae rationalis.* Sed una est natura rationalis in divinis; ergo una persona.

— Solutio: Dicimus, quoniam una est essentia, tres personae. Et potest vestigium reperiri in creaturis. Primo in materia, forma et appetitu. Materia (natura S) quasi parens, forma proles, appetitus et amor idem, quod Spiritui sancto convenit. Item fons, rivus, lacus tria sunt, tamen eadem aqua fons rivus lacus; tamen neque fons est rivus neque lacus. Item in Adam, Seth, Eva. Adam ingenitus, Seth genitus, Eva procedens. Item in memoria, intelligentia, voluntate est

^a) AUGUSTINUS, *X De trin.* c. 11 n. 18 (PL 42, 983).

^b) BOETHIUS, *De persona et duabus naturis* c. 3 (PL 64, 1343).

imago trinitatis. Sic igitur in creaturis animatis et inanimatis vestigium trinitatis potest reperiri.

E

XII

5v

(Quaestio De immortalitate animae)

Quaestio est de immortalitate animae. Primo: Utrum sit immortalis per naturam. Secundo: Utrum sensibilis anima bruti sit corporea vel incorporea.

Primo obicitur: Dicit DAMASCENUS^a: Omne quod incipit esse, finitur per naturam.

— Solutio: Natura a BOETHIO^b distinguitur quattuor modis. Natura dicit quidquid intelligi potest; sic convenit et substantiis et accidentibus. Item natura dicitur, quidquid agere et pati potest; sic est in substantiis spiritualibus et corporalibus. Item natura dicitur secundum quod est principium motus et quietis; sic est in corporibus solum. Item natura dicitur uniuscuiusque specifica differentia. Concedo igitur, quod anima natura incorruptibilis est.

Quaeritur: Utrum sensibilis, vegetabilis sint corpora sive spiritus, prout sunt in brutis

Si corpora, duo corpora sunt in eodem loco, quod non contingit. Si spiritus et generantur ex corpore, ergo non est generatio naturalis, quia non generatur tale quale ipsum est.

— Solutio: Dicit magister G(UILELMUS) DE TAMPIS praedicator, quod sunt substantiae spirituales, et tamen generantur ex principiis naturalibus, et corporales sunt, et quod non corporeum generatur ex corpore, mirabile est.

Quod non credo, ibi esse mirabile, sed generationem naturalem; et est anima vegetabilis vis quaedam insita rebus, cuius sunt duo opera, vegetare et alimento uti.

E

XIII

5v

(Quaestio De peccato originali)

Quaeritur: Quid sit originale.

Respondetur: Idem est quod concupiscentia.

— Solutio: Concedo, quod originale est concupiscentia cum carentia debitae iustitiae, quod est quidem defectus rectitudinis voluntatis;

^a) JOH. DAMASCENUS, *De fide orthodox.* lib. II c. 27 (PG 94, 959).

^b) BOETHIUS, *De persona et duabus naturis* c. 1 (PL 64, 1341).

et hoc est originale. Concupiscentia vero poena est illius culpae. Et concedo, quod illa carentia debitae iustitiae remouetur per baptismum et remanet concupiscentia quae est pronitas ad peccandum.

XIV

E

(Quaestio De resurrectione)

229v

De surrectione quaeritur: (1) Si est.

Et probatur, quod non. Virtus est principium merendi, quae non dependet a corpore. Ergo, si surrectio gloriosa respicit virtutem, non erit corporis surrectio.

2. Quaeritur: Utrum idem in numero resurget.

Quod non, videtur, quia in vegetabili, sensuali, communicamus cum brutis.

3. Quaeritur: Utrum sit eadem humanitas quae prius numero.

Videtur, quod non. Facta interruptione.

4. Quaeritur: Utrum Christi surrectio sit causa surrectionis nostrae.

Et obicitur: Cessante causa, cessat effectus.

XV

E

(Quaestio De sacrificiis)

230r

Quaeritur: Utrum omnes teneantur facere sacrificia.

Secundo: Utrum omnes intelligebant quod faciebant.

Circa primum: Originale erat in omnibus, in cuius remedium fiebant sacrificia; ergo omnes tenebantur.

Ad secundum: PHILOSOPHUS^a: Necesse est, hominem vivere in consortio.

Ad primum: Utrum omnes tenentur, respondeo: Duplex est tentio. Quaedam obligat ad faciendum vel non faciendum; et tunc et transgressio, si non fiat faciendum; talis erat tentio ad mortalia. Alia est tentio, quae est ordinatio ad intelligendum suum remedium, sicut erat de sacrificiis antequam praeciperentur. Omnis enim de quadam tentione tenetur ad illa; sed haec non importabat transgressionem, quia ubi non est lex, nulla transgressio. (Cf. Rom. 5, 13.)

^a) ARISTOTELES, *Polit.* A 2 (1253 a 1).

F

XVI

231r

(Quaestio De temperantia)

De temperantia quaeritur.

Primo: Quid sit et quomodo definitiones eius accipiantur.

Secundo: De partibus alicuius definitionis ipsius temperantiae.

Circa primum: TULLIUS^a dicit: *Temperantia est virtus suasu prosperitatis cohibens motus in nos impetum facientes.*

F

XVII

231r +
230v

(Quaestio De modestia)

Quaeritur de modestia. Primo: Quid sit.

Secundo: Quomodo partes eius ordinantur positae in definitione illius.

Circa primum: AUGUSTINUS in 70 Quaest^b: *Modestia est, per quam pudor honestus caram et stabilem comparat auctoritatem.* Primo obicitur contra illud.

C

XVIII

231v

(Quaestio De continentia coniugali et virginali)

I Cor. 7 (28): *Non peccat virgo, si nubat.* Occasione ista quaesitum est de continentia coniugali in comparatione ad virginalem, et quae istarum sit melior. Quod virginalis, videtur. In libro de anima et spiritu^c: *Non aliunde est bonum cor, nisi quia bene amat quod bonum est.* Sed quod nobiliori coniungitur, melius. Haec est continentia virginalis. Ergo etc.

Contra: Ubi maior pugna, ibi maior victoria, et ubi maior victoria, maior virtus. Ergo.

Es folgen weitere 13 Gründe und Gegenstände. Die Beantwortung geschieht ohne ein vorangehendes Corpus articuli.

Solutio: Ad primum dicimus, quod dignior et nobilior est continentia virginalis continentia coniugali. Hoc habetur I Cor. 7. Super-greditur virginitas conditionem humanae naturae.

^a) Cf. AUGUSTINUS, *De div. 83 quaestionibus*, q. 31 (PL 40, 21); CICERO, *De invent.* lib. 2 c. 54.

^b) AUGUSTINUS, *De div. quaestionibus*, q. 31 (PL 40, 21).

^c) Ps. AUGUSTINUS [GUILIELMUS DE S. THEODORICO], *De spiritu et anima*, PL 40, 779.